

Q. D. B. M. **Historia** corporis sibi
dolorum suorum. **AD** distillatum resor. uniuscun.

AD

AUDIENDAS VALEDICTIONES

DISCIPULORUM NOSTRORUM

INFRA NOMINATORUM,

LN

AUDITORIO MAJORI

DIE CRASTINO

HABENDAS.

VENERANDOS DNN. INSPECTORES, PATRONOS, FAUTORESQUE

PATRONOS, FAUTORESQUI ET AMICOS NOSTROS.

ET AMICOS NOSTROS

OFFICIOSE AMANTER QVI

INVITATION

M. GEORGIIUS ANDREAS Binhold / RECTOR.

CIGNÆ,
LITERIS FRIDERICIANIS.



Quanquam Grammaticorum præcepta discentibus plerisque aspera videntur : & pueri non pauci observationibus illis propterea deterrentur, quod salebris omnia inaccessa & plus arenis Libycis sterilia apparent : fit tamen humani ingenii pervestigatione, & doctoris callidi folertia, ut Grammatica nonnullas habeat amoenitates, atque inter sentes quedam rosæ aut violæ fvavitatis gratia inveniantur. Si enim Doctores ipsos respicimus, quorum virtus trita illa semita non contenta in ampliorem sese campum profundere amat : quibus illi delectationibus fruuntur? cum se Grammaticorum turbæ immiscant, & varias leges rationes que docentium contemplati, alium offendunt Latinorum veterum niti observationibus, neque quicquam in Grammatica conscribenda avidius intendere, quam dictionum Romanarum farraginem; alium subtilitate quadam Philosophica fretum nihil statuere, præter id, quod sapientia contemplativa præfisi, variisque definitionibus ac distinctionibus præmunivit; alium linguam Ebræorum pro meta tutissima in subsidium vocare, utpote cui nihil in monstrando Latini sermonis instrumento satis exploratum satisque limatum, ac politum est, nisi quod cum arte caballistica conveniat, & ad hanc tanquam ad normam dirigatur; alium rursus, Philosophia vulgari neglecta, Euudem Magistrum optimum supponere, &c, ut Mathematicorum more cuncta etiam in disciplina literaria firmissime demonstrentur, post definitiones, & scholia velut impedimenta scientiae, axiomata & obseruationes suas in aciem collocare, quibus deinde propositiones demonstrandæ evadant firmæ, & Achilleo quodam robore convalescant: usque dum per amœnæ illæ appendices problema dialectica in toto demonstrationum choro agmen claudant; alium porro veribus omnia absolvere, ratum non melius felicissime singula memorie mandari, quam cum ad metrum Poëtarum omnia defluant; alium sententias in medium allatis putare cuncta pleniora atque moliora incipientibus existere; alium denique sortitiones necio quas Grammatico studio admiscere, appositisque iconibus tesserarum, quæ fidelibus visæ oculis tenacius hærent, conficienda proponere. Hæc ingeniorum diuersitas, quam cum horto Arboribus herbisve confito contulerim, & Grammaticas inter amœnitates refero, ipsa varietate & discolori habitu quemlibet non languentem animum ad speculandos rimandosque tot ingeniorum prouentus, certe horis subsecuius, excitare possit. Sed habent etiam discentes suas paratas in Grammaticis amœnitates, quas Magistri comitas cum doctrina moderata coniuncta oculis puerorum contemplandas fissit; quo utile dulci misceat, cautesque blandimenti diligentiam & attentionem eliciat, adeoque omne punctum sciti ferat informatoris. Etenim sicut in hoc sumus sapientes, quod naturam ducem sequimur, teste Tullio: etiam dulcedini inservit Preceptor, cum eam rationem docendi obseruat, quæ naturæ nostræ convenientissima existimat. Talis autem mea sententia est, quæ à simplicissimis primordiis capiens ad composta ulterius progreditur, neque quicquam affert, nisi antecedentia jam tum lumen aliquod accenderint, vel è superioribus intelligi quodammodo inferiora queant. Ita tyro ad scita docentes non facile stupebit, cum non subito ante explanationem & intelligentiam recitanda sit definitio; sed comitem se illi dabit, quasi in deambulando, & perspectis sigillatim floribus in prato enatis, herumque observatis non minibus, jam erudite quid pratum sit, quomodo singuli flores nominentur, quali forma, qua figura, quo colore gaudeant, imo quo odore & virtute hominibus prorsint, non sine voluptate experientia magistra repetet. Prima igitur sit amœnitas, rationem docendi (methodum) ad naturam puerilis ingenii & desideria se componere, imbellicitati succurrere, quasque reminiscendo & sensibus tyronem ad sermonis præcepta deducere. Id quod obtinebit, si primum doceantur literæ, literas excipiunt syllabæ, syllabas vocabula, vocabula oratio Grammatica in partibus coniungendis, orationem Grammaticam ordo constructionis in toto orationis corpore. Deinde omnis institutio in explicandis vocabulis, dictionibus & dictionum copulatione versetur, ac sè penumero ad flores

flores legendos, ad lilia decerpnda, vel, ut apertius loquar, non ad abstrusas obseruationes, exceptiones, sed ad lucidas explicationes, & ad ipsum usum Latinorum ducat; ne puer in odiosa diuerticula prolabatur. Jucundius enim discitur, si præsens negotium accurate & caute tractetur, quam si querendis ambagibus discentis calorem restinguamus: grammaticare decet, sed præcisus intricioribus, non philosophari: ut appetitu laborantis & fundamento doctrinæ satisfiat. Itaque non jam curandum est, cur v.g. vilius Grammaticis dicitur Comparativus? & non porius Gradus Comparatus? non qui fiat, ut eleganter dicamus: vilius argentum est auro? sed autoritate latine loquentium unice acquiescamus, juxta illud: Sic voluere patres. Verbo, sermo ipse hauriri e suis fontib⁹ debet. Præterea ordo rerum Grammaticarum naturam hominis, quam fieri potest, convenientissime rationemque sanam sequatur: cum naturæ insita felicioris apprehendantur, quam arte quæsta. Nomen ergo exempli gratia prius ponatur, quam Pronomen aut verbum: & Syntaxis communis præmittatur propriæ, ad ultimum reseruatis elegantiarum & variationum regulis. Quoties partes novæ pertractari debent, partes ante tractationem in brevi tanquam tabella discentium oculis subjiciantur: quo pensa quotidiana dispensari queant: si quidem alacrius ad laborem itur, cum lectiones insingulos dies disperuntur, & parte aliqua ad finem perducta, interposita repetitione, laus & gloria (fit veniam verbo) subsequatur. Ita v.g. Syntaxis in classes certas abeat, in classibus regulæ explicentur: in Prosodia notetur tonus vocis, syllabarum mensura in voce, item explicatio mensuræ illius in componendis versibus. Argumenta regularum vel obseruationum etiam enucleatus ostendantur: quippe bene collocata & suis dispositio locis magis afficiunt pueritiam, memoriaque citius subveniunt, imo & firmius postea insident: quandoquidem & areae horrorum multo vehementius arrident, quam si frutices & olera absque sepris dispersa negligenter suspicionem darent. Hinc numeris eriam memoriae teneræ aliisq; subsidiis typographicis ad delectationem facientibus succurratur. Quærendo magis quam præcipiendo eruditio peragatur: fortius enim acuunt potentiusque excitant interrogations, neque moleste informationis tempus ducitur, dum & informantem & informandum vigilante operam oportet. Hic sane qui injucunda sit diligentia? Potissimum, si ea serie inter se partes conglutinentur, ut ligata invicem cæterisque implicata quasi cuncta videantur, & prior quæstio posteriorem pariat. Sic namque docendus attendit connexionem ipsarum rerum, atque nexus doctoris sui cum voluptrate addiscit. Unde & filius interrogantis ita formandus est, ut manifesta priorum & posteriorum existat cognitio, & vel unica vocula ex responsione data sequenti interrogationi inseratur, v.g. Quot sunt voces? duæ, Activa & Passiva. Quid est Activa? Quid Passiva? Inprimis autem exempla luculenta afferantur, cum integrata aut obscura illuftranda sunt. Ita e.g. Genera Substantivorum jucundis adjectiōibus (Adiectiōibus seu Epithetis) faciliora atque planiora usque etiam commodiora fiant. Dici profecto non potest, quantum intersit, talibus appositionibus discipuli memoriam juvare, & in iſiusmodi tricis grammaticis quadam suavitate lubricum imbuere ingenium. Abundent vero insuper confiruendi rationes tum exemplorum lumine, tum varietate, quæ non minimum deleat, tum utilitate sententiarum. Et quidem delectatio maior erit, si joci quidam honesti ac sales inspergantur: si ad ipsum discipulum attineant sententiae; si de re, quam discipulus gratus auribus (modo honestis) accipiat, exercitatio suscipiat. Nostra enim, quam aliena avidius cupidiusque arripimus, & momentis rerum ornata pluris estimamus, quam que viuierim traduntur. Exempla regularum ad solas eas regulas quadrent, quibus substernuntur: ne puerο, alienis ascitis, scrupulis iniciatur, nec scienti, quæ verba ad præsens institutum pertinent. Huc pertinent ingeniosæ & venustæ notationum Grammaticarum illustrationes, per quas non tantum memoria viget, verum & aſcultandi cupiditas inflammatur: quales sunt, si v.g. Regulam de coniunctione Adiectivi & Substantivi cum marito & uxore, vel cum hedera & arbore compares: si Regulam Accusativus

FR IVc 90

X 298 3765

cusativus præcedit Infinitivum &c. cum præcedentiis, ut loquuntur, Politicorum conferas. (Liceat enim in gratiam juventutis eo modo ludere vel alludere.) Nihil ediscendum injungatur, nisi perspicua explicatio antegressa sit. Ad ratra, ad transfra damnantur, quæ memoria recitare iubentur ea, quæ vel nondum intelligunt, vel per etatem nondum intelligere possunt. Nulla doctrina, quecumque demum sit, discenti prescribatur, nisi prius in vernacula eius sensum sciat reddere: ne Grammaticam cogatur discere propter Grammaticam, sed ut propter sermonis moderamen diccat, quo recta existat oratio. Latinæ orationis vis & ratio, quoad eius fieri potest, e lingua notiore ostendatur: quoniam jucundius percipimus, quæ a notis & perspectis quasi mutuamur: quæ quidem amoenitas tum in considerationibus Grammaticis, tum in re vocabularia plurimum valet. Sicut autem maturius imbibuntur, quæ in sensu incurruunt: sic chartæ vel tabulis inscripta, nec minus in libellis ipsiis expressi schematismi studium proficiens manifeste augent, & curiositatis instar adumbrationes illæ & pieturæ pertinaciter harent. Separatim Declinationes & Conjugationes ope linguae vernaculae prius illuminentur, partim, ut hujus fundamento nonnihil detur opera; partim ut pralibata Terminorum Grammaticalium serie facilius intelligentur Latina. Etenim ludibrii suscipimus nova, quoru[m] aliqua pars jam ante nobis innotuit, & in qua persequenda olim vires nostras sumus perclitati. Aperitas circa Præterita & Supina Verborum, quæ plurimis superandi spem adimit, & Sisypheo saxo onerosior appareat, si non tolli, certe mitigari potest, si verbis singulis interpretatio præmittatur, & si eadem ad numerum seriemque Conjugationum, itemque ad Genera Verborum componantur. Separatim enim Activis, Neutris & Deponentibus, distinetis præterea inter se Conjugationibus, & versione singulis præposita, minus horrida, minus aspera videbuntur, quæ alias molestiarum ac difficultatum plenissima erant. Subsidia memoriam sublevantia reficiunt languidum discentis ingenium & amoenitatem perfundunt, cum v.g. in ponendis terminationibus Declinationum. Prima dicitur habere duo A. duo E. quorum singula vel solitaria sint, ut mensa, epitome: vel S. in fine assument, ut Aeneas, Anchises; in Conjugationibus occurrit A. longum, ut amare; E. longum, ut docere; E. breve, ut legere; I. longum, ut audire; tria longa, unum breve. Est & hoc non infuane s[ecundu]m, quando cordatus Magister colloquio, vel epistola, vel fabula, vel historia aut sententia quadam ad elaborandum ex tempore proposita, illlico monstrat observationum Grammaticarum utilitatem. Nec minus juvenile pectus capit comis & moderata correctio exercitorum, & loci ipsius amoenitas, quando in horto, in portico, in prato, ad ripam fluminis Grammatica modum subministrare jubetur, quo sermo latinus velut aliud agendo instilletur. Hæc breviter de amoenitatibus Grammaticis, & quidem oblate occasione, dicta sunt. Duo enim discipuli nostri.

I. JOHANNES THOMAS HILDEBRANDUS, Stennensis,
II. CHRISTOPHORUS FRIDERICUS KIRSCHIUS, Cygneus,

Grammaticæ studium in oculis habuerunt eo tempore, cum mutare genus vitæ & Academiam adire meditantur, quorum prior Grammaticum studium improbat, posterior improbans conatum refutabit, ostenderetque Grammaticam ad omnem sapientiam comparandam apprime necessariam esse. Valedicuntur more veteri responsurus est.

JOHANNES CASPARUS OTTO, Cygneus. Nos Deum precamur, ut mutationem discedentibus præcipue fortunatam esse jubeat! P.P., Cygneæ d. 3. Maii 1706.

(36) • (36)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3-1-409132-p0004-0



**AU B.I. Blas
19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1**

**ALLEDICTIONES
NOSTRUM
INATORUM,**

This image shows a portion of a historical newspaper or document. The page is filled with dense Latin text. A prominent feature is a large, multi-colored grid in the center-right of the page. The grid consists of several squares in shades of pink, red, orange, and yellow. To the left of the grid, there is a vertical ruler scale with markings from 1 to 19. The text above the grid reads "N. INSPECTORES, UTORESQVE". Below the grid, the text continues with "OSTROS", "INTERQUE", "S. Vinhold / RECTOR.", and "RICIANIS.". The entire page has a aged, yellowish tint.

